

WS 2024/25 Lat. Lektüre: Plautus, *Epidicus* TEXT 14 / 28.01.25 (Karanasiou)

<https://www.thelatinlibrary.com/plautus/epidicus.shtml>

PER. Ain tu? libuit? **EP.** Aio. vel da pignus, ni ea sit filia.

PER. Quam negat novisse mater? **EP.** Ni ergo matris filia est, 700

in meum nummum, in tuom talentum pignus da. **PER.** Enim istaec captiost.

sed quis east mulier? **EP.** Tui gnati amica, ut omnem <rem> scias.

PER. Dedin tibi minas triginta ob filiam? **EP.** Fateor datas

et eo argento illam me emisse amicam fili fidicinam

pro tua filia: is te eam ob rem tetigi triginta minis. 705

PER. Quo modo me ludos fecisti de illa conducticia

fidicina? **EP.** Factum hercle vero, et recte factum iudico.

PER. Quid postremo argento factum est quod dedi? **EP.** Dicam tibi:

neque malo homini neque maligno tuo dedi Stratippocli.

PER. Quor dare ausu's? **EP.** Quia mi libitum est. **PER.** Quae haec, 710

malum, impudentiast?

EP. Etiam inclamitor quasi servos? **PER.** Cum tu es liber, gaudeo.

EP. Merui ut fierem. **PER.** Tu meruisti? **EP.** Vise intro: ego faxo scies

hoc ita esse. **PER.** Quid est negoti? **EP.** Iam ipsa res dicet tibi.

abi modo intro. **AP.** Ei, non illuc temerest. **PER.** Adserva istum, Apoecides.

AP. Quid illuc, Epidice, est negoti? **EP.** Maxima hercle iniuria 715

vinctus asto, cuius haec hodie opera inventast filia.

AP. Ain tu te illius invenisse filiam? **EP.** Inveni, et domi est.

sed ut acerbum est, pro bene factis cum mali messim metas.

AP. Quamne hodie per urbem uterque sumus defessi quaerere?

EP. Ego sum defessus reperire, vos defessi quaerere. 720

PER. Quid isti oratis opere tanto? mi <orandum> esse intellego,

ut liceat merito huius facere. cedo tu ut exsolvam manus.

EP. Ne attigas. **PER.** Ostende vero. **EP.** Nolo. **PER.** Non aequom facis.

EP. Numquam hercle hodie, nisi supplicium mihi das, me solvi sinam.

PER. Optimum atque aequissimum oras. soccos, tunicam, pallium 725

tibi dabo. **EP.** Quid deinde porro? **PER.** Libertatem. **EP.** At postea?

novo liberto opus est quod pappet. **PER.** Dabitur, praebebo cibum.

EP. Numquam hercle hodie, nisi me orassis, solves. **PER.** Oro te, Epidice,
mihi ut ignoscas, siquid imprudens culpa peccavi mea.
at ob eam rem liber esto. **EP.** Invitus do hanc veniam tibi, 730
nisi necessitate cogar. solve sane, si lubet. >

POETA Hic is homo est qui libertatem malitia invenit sua.
plaudite et valet. lumbos porgite atque exsurgite.